

milites Germani octoginta (neque enim fere plures capere locus exiguus poterat) qui se fortissime defendebant : in quos cum a reipublicæ militibus tormenta exercerentur , pilæ , quas emitterent , ipsos defecerunt : eamque ob rem differri oppugnationem necessitas cogebat . atque unus ex agrestibus , qui aderant , desiderari pilas sentiens , ad præfectos accurrens , *Ego vobis* , inquit , *opportune pilas dabo* : ad proximumque ei loco tumulum eos duxit , quo a tumulo pilæ ferreæ triginta tegebantur , quas hostes abscondiderant . Haud facile dictu est , quantum in bello fortuna possit . nam ut casus tulit , ut is agrestis , qui sciret eas ibi pilas esse , illo temporis puncto eodem venerit , quæque dicerentur , audierit : ita casu magno factum est , ut pilæ hostium tormentis reipublicæ ita convenirent , ut ad id confectæ viderentur : infartæque iis & ejaculatæ perfecerint , ut arx eo die caperetur cum Germanorum omnium interitu , præter eorum præfectum , qui ad urbem vivus est perductus : quam quidem paulo post senatus arcem magnis munitionibus tutiorem reddidit . Atque est eodem in itinere ter mille passus ante Scalam mons saxeus præcelsus maximeque directus ad perpendiculari viæ imminens , in cuius superiore parte ipso in saxe specus cum perenni aquæ fonte natura factum homines concinnaverunt , arcemque parvam ex eo effecerunt . Ea omnino arx adiri pedibus non potest : fune autem demisso cum lignea sedecula , singuli homines rota desuper vertente attolluntur : ac quidquid aliarum rerum inferendum est , eodem uno sublevatur , atque in arcem importatur modo . Ei arcis inter montem flumenque quod arctam atque angustam vallem dirimit , subest ea , de qua dixi , per exigua sane via , qua commeare iis , qui in arce sunt , invitis licet nulli : propterea quod saxis modo ab ea devolutis quoslibet obrui atque interfici nullum negotium est . Ea quoque arx , quam Covolum appellant , eorum ditione qui illam custodiebant , ad rempublicam rediit . In Istris etiam præda celebris ab Epirotis est equitibus & cædes hostium facta .

*Covoli arcis
descriptio.*